



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. XII. Incontinentia effectus tertii: famam inquinat, virtutes omnes
extirpat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

CAPUT XII.

Incontinentiæ effectus tertii: FAMAM IN-
QUINAT, VIRTUTES OM-
NES EXTIRPAT.

AD gemini versiculi finem, & unâ sermonis ante-
meridiani, tendimus. Incontinentia in famam &
Virtutes grassatur; illam inquinat, has extirpat. Hiero-
nymus voces hujusmodi usurpavit: O luxuria, ô ignis infer-
nalis, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus
scintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus ci-
nis immunditia, cujus finis gehenna! De jacturâ famæ
non est quod longè differam; res ipsa loquitur nullum
certè vitium est, quod plus erubescere nos cogat quàm
hoc, de quo sermo est. Merito plurimum pudoris ha-
bet & ignominia, quod plurimum habet infamiae &
turpitudinis. Nec aegrè credam, plurimos hominum,
tum demum perfidè mutos esse incipere, cum hoc ge-
nus flagitii in confessione prodendum est. Nec crebrius
violari Pœnitentiæ sacramentum, quàm ab silentio
commisissæ obscœnitatis. O tetrum flagitium! quod non
tantum letalem plagam imponit, ut alia, sed & mede-
lam excludit, & hoc unum agit, ut quem semel nexuit,
nunquam manu mittat. Nec illi satis lævisse, pecuniam
abstulisse, ingenium fregisse, memoriam hebetasse, ju-
gulasse animam, nisi demum & famam rapiat, probi-
que nominis thesaurum intervertat crudeli prædatione.
Neque hoc mirum in hoste omnigenarum Virtutum, &
amici Vitiiorum omnium. *Ades.* Enimverò, Parthe-
ni, hoc ultimum nondum ex toto persuasisti: habent
Virtutes suum quæque hostem, habent, & Virtus suum
quodlibet adversarium. *Parth.* At ego te, mi *Ades*-
time, hic quidem inoffenso pede ire velim, nec quid-
quam subistere, aut addubitare. Non retracto, dixi,
C idque levi operâ planum facio. Libido sic immutat ho-
minem, ut nec homo quidem maneat, verè jam pecus,
post exitum turpiter hominem. Da mihi juvenem,
ejusmodi spurcitiarum amantem, & vide quid in illo
solidæ virtutis reperias? exulant virtutes, ubi libido vi-
catrix imperat. Canit olim Venusinus vates, de juvene
sui juris facto.

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.

Verissimum id est de homine obscœnarum sordium,
non puro: Cereus is est, non in unum aliquid, sed in
omne prorùs vitium. Principio quidem, non negabis,
credo, si superbiæ eos studere dicam qui lascivis oculis
probari se cupiunt; qui compulsi, qui munduli, & niti-
duli è meris pigmentis & nitelis formam sibi adstruunt,
& hoc maxime agunt ut placeant. At avari forsân hi ta-
les non esse videbuntur: non sint etiam: at erunt cer-
tè prodigi, quod æquè vitiosum est & turpe. Imò quod
monstruosissimum merito dicam, frequenter isti, & avari
D sunt simul, & effusi. Ab his pecunias avarissimè com-
pilant, ut habeant quod in istos per prodigiam ef-
fundant. Parentibus rapiunt, meretricibus donant. In-
vidiâ plenum esse amorem Venerem nemo nescit. Ve-
teres tibi tragœdias recantari vis? Troiæ labores & ex-
cidium, sed & plurimum civitatum, imò & regnorum
eversiones id satis loquuntur. De gulâ, non est quod
multis astruam: in aperto est, monstrum esse libidinem
sine gulâ. Sed neque familiares amicos reperies
quàm desidiam & luxuriam, otium & Venerem. Con-
signo cum Tullio, qui in Catone Majore, Archyta Ta-
rentini verba sic refert: Nullam capitaliorem pestem,
quàm corporis voluptatem hominibus à naturâ datam.
Nec multò post subjungit: In voluptatis regno Virtus
consistere non potest: quocirca nihil tam detestabile,
tàmque pestiferum quàm voluptas, liquidem cum ma-
jor est & longior, omne animi lumen extinguit. At verò
Salomoni

mune est, animum *Aeterna* mortis reum statuere. Sed A
hoc & facilius & celerius facit, quàm ferè ullum vitio-
rum. Hic enim, vel unâ atque unicâ cogitatuiculâ im-
purâ, eaque solâ, quam nostrates Theologi, delectatio-
nem morosam nominant, æternis flammis obnoxii red-
dimur. Absit facinus, absit patrandi facinoris voluntas,
æternæ tamen morti ille se objicit, qui vel solum impu-
riorem cogitatum, in oblectationem sciens volens ad-
mittit. Hoc Augustino credes, aperitissimè id pronun-
tiant: *Torus homo, ait, damnabitur, nisi hac quæ sine volun-
tate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oble-
tandi, solus cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediato-
riâ gratiam remittantur.*

Rectè castissimus Bernardus, cum flagitiosas per
puellam infidias sibi strui adverteret, *latrones, latrones*,
exclamavit. Sanè latro est omnis Veneræ libido; latro-
num ritu amplexatur ut perimat; osculum mentitur
cum Joabo, ut sicam infigat in Amasiam quem salutat.
Et Senecæ monitum est: *Voluptates præcipue exurba, &
invisissimas habe latronum more; in hoc nos amplexantur ut
strangent.* Ah! quanti perierunt ab hac unâ peste. Et
quod lacrymis dignum, etiam fortissimi, etiam sapien-
tissimi, & quod mireris, vel etiam sanctissimi, Samso-
nes, Salomones, Davides, hoc uno telo corruerunt. Et
nos qui stamus qui nec Samfone fortiores, nec Salo-
mone sapientiores, nec sanctiores Davide sumus, præ-
sertim cum pericula nostrâ sic amemus, ut in ea proni
magnòque nisu ruamus, & plerumque toti procumbamus
in voluptatem?

Memini ego & horreo, quoties id memini à Præce-
ptore meo me audire, si centeni juvenes inferiorum
flammis addicantur, & centenis istis nonaginta novem,
ob hoc, de quo loquimur, vitium Carnis damnari; cen-
tesimum demum ob aliam aliquam graviorem noxam.
Ades. Conjectura hæc mihi non incredibilis est. *Par-
then.* Nec mihi certè. Immobiles stat sententia in im-
puros jam lata: *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis
fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum ser-
vitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei.*

S. I.

Memoriâ quoque & ingenium ab hac sædissimâ
luc afflari & corrumpi, nimis quàm certum est,
& verissimè Philosophorum Deus Aristoteles, *Venerem
amentia præfata* ait. Scholas obsecro & gymnasia lu-
stremus: hic tu mihi adolescentem aut juvenem, qui
unâ & Veneri liter & Apollini, qui sit ingeniosus simul
acerditus, & tamen parum castus. Monstrum hoc mi-
hi foret, albo simillimum corvo. Non sine mysterio
Muse Virgines finguntur à poetis: malè simul habitant
libido & eruditio. De talibus verissimè Comicus:

*Neque jus, neque bonum aut æquum sunt,
Melius, pejus, proficit, obicit, nihil vident
Nisi quod libido suggerit.*

Et Claudianus meus, poetarum ocellus, assentitur:

*Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus.*

Et verò si lubet, bibliothecas obeamus, & gnave in-
dagemus, an plus librorum scripserint calibes & casti,
an verò vinculis uxoris arcenti. Et quâ possit, fac velle,
Veneris facibus vel leviter adustus, eâ tranquillitate
animi & serenitate, quâ opus est, tractare libros? quid
fani sensus, aut eruditæ cogitationis, è tali cloacâ (da
veniam verbo) effodias? in impuro & sordente vase
malè servaveris opobalsamum. Et divinæ paginæ ora-
culum est: *In malevolam animam non introibit sapientia,
nec habitabit in corpore subdito peccatis.* In fonte cenoso ac
turbido, nil liquido satis ac perspicuè cerni potest.

Lib. 12. de
Tren. cap. 12.
2. par. d. 2. 4.

Immo. He-
aut. d. 4.
f. 1.

Cap. 12. p. 4.
f. 1.

Salomoni magis credes quam Ciceroni, aut Deo de Salomone. Hunc ubi libido triumphavit, vitorum omnium mater idololatria cupissimè sub jugum misit. Quid virtutis remansit in Herode, postquam victas manus dedit Herodiadis perulantia, cuius incestum non lacrymis, sed cruoris rivulis deploravit infontissimi Baptistæ præcibus caput? O luxuriam! ô charybdin quæ omnes animæ vires, inò & corporis, quin & omnem virtutem gulosè absorbet abiguntque! *Ædes i. m. v. s.* Persuades, Partheni, & me in tuam sententiam trahis vel invitum.

§. I.

PARTHENIUS. *Ædesime*, suboleo quid velis. Epilogum expectas, & ut loqui desinam. Dentes credo, tibi pruriunt in cibum. Nec mirum: sextâ jam lineâ tangitur umbra, meridiem esse & mihi stomachi mei horologium dicit. Sed quæso te, patere, uterque suam prius & memoriam & patientiam exerceat, quam mensam accumbat. Revocemus in cumulum & synopsin quidquid horis antemeridianis super NICETÆ nostri victoriâ prolixè oblitescendâ disseruimus. Et nisi me fallit memoria, ordinem hunc servavimus.

Dictorum
compen-
dium.

Sermonis caput NICETAS fuit, verè victor, verè major elogiis nostris quibuscunque. Quidquid illecebrarum, quidquid artis aut fraudis, quidquid machinarum Incontinentia seu Libido habet, in NICETAM expedit. Omnia tentavit fecissimus Cupido, omnia superavit castissimus NICETAS, dolos, artes, fucos, fraudes, vim omnem expunxit; technas, illecebras, machinas elusit universas. Novo ausu & robore planè admirando suum debellavit hostem. Hanc ei victoriâ dum mirabundi gratularemur, sermo nos suaviter ad Incontinentiæ armamentarium deduxit. Hic duplicis generis arma reperimus, *Invitamenta* & *Effectus* Incontinentiæ: illis oppugnat, isti jugulat. Ita primum laesentis Incontinentiæ telum est OTIVM, horribilis carapulta contra omne genus bonarum actionum. Alterum Incontinentiæ telum oleo litum, ut sit penetrabilis, GYLA est. De hac notum illud Ambrosii: *Sarventis Castitatem prodigit*. Et sanè plures occidit Gula quàm gladius, fuitque ea semper placitorum malorum fomes. Tertium & Quartum Incontinentiæ telum, LIBRI, & PICTURÆ lascivæ. Rarissimum est his tangi, & invulheratum vivere. Quintum, OCVLORVM LIBERTAS. Abundè, reor, demonstravimus, quantum veneni per oculos attrahamus in animum. Beatus ille, qui oculorum suorum dominus, seduci se ab illis non sinit. Sextum Incontinentiæ volatile illicium SERMO IMPUDICVS. Multiplex hic malum, & audientium & loquentium. Septimum trabale telum Incontinentiæ SOCIETAS PRAVA. Contra piceatam hanc tragem, nemo nimium munitus erit aut cautus. Alienis exemplis, & societate plurimi perirent qui perire se nesciunt.

§. II.

ATque his armis oppugnavit NICETAM Libido. Initium pugnae, ab illo hortensio. Orio cœpit, cum fortissimus juvenis, ad mollissimum lectulum deduceretur, tanquam illic suavissimè meridiaturus, ubi hortus variam voluptatem velut offertam epulis mensam jam explicasset: Postquam ergo resupinus in toro juvenis blandè alligatus est, petulantissimæ mulieris compta facies, libris & picturis ad nocendum longè pestilentior, castissimis illius oculis sese impudenter ingessit. Hic, audire aut aspicere; hic tangi aut tangere, extremi res erat periculi. Ad fallendos oculos forma, ad inducendum animum verba incitabant compositissima. Et quid societate hæc poterat esse periculosius, quàm solum à solâ sic deprehendi? Vicit tamen, vicit

A NICETAS universa hæc incontinentiæ invitamenta. In lectulo delicatissimo, est vincit, minime tamen oriosus, voluptatem paratissimam penitus exolus, ad pictam supra omnes imagines feminam neutiquam curiosus. Ad omnes oculorum illecebras cæcus, ad melitos verborum globulos surdus, Veneræ hujus societatis fortissimus adversarius, invidus, inexpugnabilis. Quia ergo Incontinentiæ tela, quibus expugnare solet, incassum ceciderunt, arma etiam, quibus solet jugulare, frustra fuerunt. Recordari sine, *Ædesime*; quos Incontinentiæ statuerimus *Effectus*? & hi arma sunt illius, quibus, quos expugnat, necat. Primus ergo Incontinentiæ *Effectus*, corpus viribus, Alter, crumenam numis exhaurire; Tertius, animum occidere: Quartus, ingenium hebetare: Quintus, famam inquinare: Sextus demum, virtutes omnes extirpare. Atque de his, est strictum & ordine nonnihil inverso, prout vericuli suggeriebant, jam egimus.

Nunc mensa & prandium nos vocat: *Ædesum*, meus hodie conviva eris, sed non asymbolus. Tres tibi quasiunculas ponam, quæ à proposito sermone, simul & à mensâ non abhorreant. Prima erit: cur Apicula volucres innubæ, & virgines avicula, Cereis famulæ vocentur; quos illa flores non tangant, quos homines non pungant, quo flore maximè gaudeant; quo etiam spectat quid mel virgineum, quid charta virgo, quæ virginea sit membrana? *Ædes*. Num hæc una est questio? **PARTH.** Una, sed conglobata. Altera: quæ herba & oculos acuat, & Castitatem; & quæ avium tam vivæ quàm mortuæ, seu, tam naturâ suâ quàm esu nostro, sint castissimæ, & quid apud homines religiosos lactuca & hordeum, quotidiana panis fercula sibi velint? *Ædes*. Ut video, mille me questionibus petes. **PARTHEN.** Ne disside: reperiemus responsa. Postrema, quæ, rerum delicatissimæ, quæ irreparabiles in utroque ordine numerabis jam præcisco Virginitatem. Eamus; nisi tu Chamæleon sis, & ætæ vivas. De ceteris, jam pransi colloquemur.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Geminus NICETÆ Benedictus, Illustrissimo
titidem facinore.



PARTHENIUS. In Sanctuariis Mithridatis maximi Regis devicti (Plinius memorat). Cn. Papeus Lib. 33. ad inventit in peculiari commentario, ipsius manu compositionem antidoti, è duabus nucibus fideis, sicibus totidem, & rutæ foliis viginti, simul tritis, addito salis granis: & qui hoc jejuniis sumat, nullum ei venenum illo die nociturum. Satis veneni congestimus ante meridiem. Vis, *Ædesime*, huic suum etiam antidotum queramus? *Ædes*. frustra hoc rogas? epulis tuis satur sum, nondum tuis verbis. Pertexe telam, mi Partheni, quam ortus es. Venena nosse, te auctore didici: discam etiam nosse obliiscentia venenis pharmaca. Tu mihi Mithridates sis. Matros, Ophiogenes, Pysillos terrori serpentibus fuisse, narrat idem Plinius, & tactu ipso succive medico levasse. Anguis est Incontinentia, fecundissima veneno, & quos non icit Partheni? è Pysillorum familia te virum præsta, & icit aut icientis tactu medico succurre. **PARTH.** blandè cogis.

Ergo progrediamur sermone cæpto, & jam alterum à NICETÆ exordium ducamus, cui nemo non acclamet. Vicit